

ORTHVINVS GRA- TIVS PHILOCHARIS PIO LE- CTORI S. P. D.

Ex Bibliotheca Paulæ



*A*XIMI facies lector candidissime Franciscum Birckman, ac fratrem ipsius Arnoldum: qui quum sint in vetustissimis simul atque optimis autoribus, non inquirendis consequendisque tantum, verum etiam in imprimendis diuulgandisque diligentissimi, ita etiam in Christianorum maxime codicum sinceritate, minime negligenda, maxime conspici plurimumq; illustres. Nihil ex illorum officina feculentum, nihil fatiferum, nihil impium prodit. Omnia ad puram eruditionem, ad integram fidem, & ad solidam doctrinam consequendam, cum optimis optimi, certatim expendunt. Quod tam in ven-

dendis assidue bonis libris, classicisque autoribus euulgandis, quam in luculentissimis ac plene diuinis, Ruperti nostri operibus, terra marique (& maximis quidem eorum impensis) diligenter conquirendis, ac tandem excusis, luce clarius docuere. Ad Rupertum venio, antiquissimum summumque Theologum: qui non per diuerticula, aut vagas contentionum ambages diuagatur, sed via regia, via tuta, via euangelica, via solida ac certa, sacros hic interpretando Prophetas neminem non caelesti inflammat igne. Sincerus est, integer etiam ac pure candidus. Moriar, si vllum deorum nectar suauius esse credam, hoc Ruperti Prophetarumque poculo, quod sitienter ebibentes, nunquam sitiunt, quo sese inebriantes nunquam inebriantur: Nullo enim, multoque amplius, quam cogitare quisquam potest, de pectore ipsius candidissimo & gratiarum pleno, conditum sapidumque promanat, cuius niueam simplicitatem, cuius eloquentiam incredibilem, cuius sententiarum gravitatem, cuius denique Theologica sublimitatem nemo non admirabitur, nemo non in caelum feret. Auricomum enim habens caput, veste splendet argentea, et velut ætherius sol cuncta collustrat. Hic decus et presidium est Theologorum: ad hunc, tanquam ad anchoram, hac tempestate literati omnes decurrunt. Quemadmodum materia salubris, ita & stylus delectabilis. Et ut semel finiam, hoc nostrum in Abbatem non aspernabere distichon.

Nunc medium celi tangit, nunc æthera pennis

Verberat, & decimo semper spaciatur olympo.

Quid multa? Adiciamus (si ita libet) & hoc nostrum Epigramma.

Cedite Philosophi, quos Græcia iactat, habetq;

Iactat & si quos Italia terra suos.

Hos longè exuperat Rupertus, gloria vatum,

Gloria doctorum, Teutoniciq; soli.

Par decus ingenij nulli sperare licebit.

Nam nouit quicquid Theologia docet.

Hos igitur Ruperti libros, lector candidissime, obuijs suscipe manibus, et nobis immortales habe gratias, qui non hosce solum, de quibus hic loquimur, verum omnes ferme alios (quorum ingens est numerus) Ruperti libros, ad vnguem usque recognitos, in studiosorum omnium utilitatem, non fideliter minus quam diligenter edidimus. Vale feliciter! Coloniae ex officina nostra literaria, tertio nonas Augusti, Anno Domini. M. D. XXXIII.